

Q. K. 124/18.

Yb  
1752

GOTHANAE DISCIPLINAE  
SCHOLASTICAE  
RATIO,  
HONESTIORI NON MINVS,  
ET NOBILIORI,  
QVAM PLEBEIAE SOBOLI  
ACCOMMODATA.



- I. *Ruina scholarum, & nouorum collegiorum sine curatiore disciplina.* II. *Huius obstacula.* III. *Corruptelae inualescentes, vbi rectoribus studiis non est locus:* IV. *scholas ipsas exitio inuoluentes, ad quarum frequentiam, & ce-  
lebritatem conseruandam non prosunt; sed obsunt potius lenocinia, & licentiae  
impunitas:* V. *Morborum scholasticorum vetustas.* VI. *Remedia specta-  
tiora:* VII. *digna publica consultatione.* VIII. *Musicae artis vsus, &  
musicorum Gothanorum celebritas.*



I.

RECTA scholarum disciplina, quanquam res sit vulgo tam ingrata, quam reipublicae necessaria, causa tamen est, cur minus pereant, & dissipentur, a quibus illa non exulat, scholastica collegia. Constat enim, vbi licentiae locus est, & luxuriando pereundi, perdendique alios temere datur, vel extorquetur a maleferiatis impunitas, nec pro prauis, ad quae prona est omnis iuuentus, recta destinandi, perficiendique prouocatur voluntas, vel incutitur necessitas, vt docentium, discipulorumque opus, & decus vnicum sit, florere, & excellere piis studiis, & bonis artibus, damnatis, & proscriptis, quae in speciem, titulumque laxamentorum legitimorum admittenda esse, vel frequentiae colligendae, & retinendae causa, contendunt de re scholastica male consulti, cito ruere scholarum instituta optima, & quam sapienter caeterum prouisa, & quantiscunque impensis, auspiciisque initio constituta. Constat, isto pacto concidisse, antequam conualescerent, sapientiae, & elegantiae officinas recentiores pene omnes, dissipataque esse, dum efflorescere debebant, & certatim frequentari ab honestioribus ciuibus, exterisque insignita, & ornata ambitiosis nominibus, & exquisita lenociniorum, artiumque seculi moribus aptarum professione noua collegia.

II. Non infelici sidere afflatur, quod perit; nec fatalis vrget necessitas noua instituta, aut obstat molientibus, quae patriae prodesse videbantur. Inestimum malum est, & labes domestica, vnde fundi illa est calamitas. Ea est sibi relictorum hominum vecordia, vt, dum vitia fugiunt, currant in contraria; dum optima destinant, caeca duce libidine, quamdiu haec domina est, amplectantur pessima. Non est dubium, emolliri mores artes fideliter discipulorum, & religiosa, consultaque bonae mentis cultura inhiberi, quae mortalibus natura insita est, feritatem, & licentiam; sed pro libidinis, maxime iuuenilis, & humanae cupiditatis modo, & voto dum feritas exiit, induitur vanitas: dum profligatur barbara, & rustica simplicitas, docta admittitur peruersitas: dum detergitur popularium inepriarum, & inficetiarum turpitudine a moribus externis, afflatur elegantiae nomine, quicquid consuetudinis

nis

nis suggerit deprauatio publica, & ventosa innumerabilium corruptelarum disciplina; cuius praescriptionem sequi seculum, cauere intemperiem enormem, & in oculos, voculasque hominum non penitus corruptorum incurrentem, ad quam plures auferuntur, singularis honestas vulgo censetur. Quod si itaque seculi ingenio, iuuenili cupiditati, & publicis moribus conuenienter instituitur, regitur, & geritur res scholastica, non est mirum, immanes parere vitiositates talem humanitatis disciplinam, & efferari magis, qui illa continentur, discentes, quam mitescere, & adolescere ad reipublicae vsum, & decus.

III. Talibus vbi permittitur delectus vitae generis, studiorum, operarum, exercitationum, & agitationum corporis, animique, nec non instrumentorum, & subsidiorum ad destinata, quae pro libidine sua quisque fingit, perficienda, & implenda vota improba, non est mirandum, si procliuius a labore ad libidinem aetas, & nullius rei magis, quam suae salutis, incuriosa designat, & amplectitur omnia alia potius, quam bonae mentis culturae, & salutis studio apta, & conuenientia. Huius aspera, & salebrosa via arcet vulgus profanum e longinquo; & qui pro illa suscipiendus est, labor facile deterret pueros, inter quos vix est, qui sponte sua, vt sapiat, multa ferre, & facere velit aetatis suae libidini, & laetitiae grauia: qui doctrinae capiendae causa sudare velit, & algere. Quibus si accedunt licentiae patroni, qui nugarum aliquid feriis curis interponendum suadent, & tanquam litterarius ludus non satis liberalis sit, & in bonarum artium campo amplissimo, & iacundissimo desint corporis, animique reficiendi subsidia, & instrumenta, in mentis discendo agitatae laxamentum ludicra offerunt oblectamenta omnis generis, vix dici potest, quo auferatur aetas incauta? Per horas, quibus vacare debebat magistris publicis, priuatisque, quaeritur, vel fingitur in aliqua corporis parte morbus, & scholasticae praetexitur absentiae: ad quem depellendum, prohibendumque in posterum, festinatur ad laxamenta concessa, & commendata. Honestiores nunc, non, vt olim, custode remoto, gaudent equis, canibusque, & aprici gramine campi; sed sub custode: quia dignum patella operculum contingit: & hoc praecipuo duce, & arbitro vanissima, & a cura, culturaque bonae mentis alienissima sectantur studia, idque tam confidenter, vt iniuriam ordini, & nascendi dignitati facere videantur, qui licentiae isti velint intercedere, & renocare a ludicris ad seria, & solida, qui in istis deperire coeperunt. Horum consuetudine breui ita vitiatu sensus, & corrumpuntur iudicia, vt, illis deliniti, & occupati illecebris, fastidiant recta, & salutaria, maxime litteraturae sanctioris, & verae sapientiae, solidaeque eruditionis praesidia, & apparatus vniuersum, nec vereantur excludere a rebus sibi discendis, tractandisque, vt aliena ab instituto suo, & ad virorum sacerdotum, & scholastica, & alia grauia

munera ornaturoꝝ curas, & studia pertinentia. Ita adoleſcentes, quibus ſolene non eſt, modum tenere in conceſſis etiam, toti ſunt in ludicris iſtis exercitiis, & praecipuam ingenii vim, animique conatum conuertunt ad luxum, gulae fomenta, palaeftram, aleam, circum, circulos ſodalium, nugas, & otii infinita argumenta ſectantium, & noua ſubinde excogitantium, vt, ſi velint deſtinare reſtiora, & reſpicere ad bonae mentis cultum, non poſſint prae cura exſplendeſcendi, & prae multitudine ſuorum oblectamentorum, & exercitiorum, quae ad conceſſam voluptatem, & oſtentandam elegantiam moris ſecularis referunt.

IV. Dum non deſunt in multitudine honeſtiorum, ad celebriores ſcholas, & academias confluentium, qui tantum cenſui imperare poſſunt, vt aliquandiu tam ſplendide, & effuſe luxurient ſine interpellatione, praua aemulatio facile plures in ſimilem impellit vecordiam. Eiuſdem ordinis, & dignitatis qui vel ſunt, vel videri volunt; ſed tenuioris fortunae ſunt, vt vitae, & ſtudiorum ſubſidia neceſſaria aegre ſufficiat cenſus, dum fortunatioribus paria facere geſtiunt, & cum illis volunt exſplendeſcere, nec extorquere tamen ſuis poſſunt, quod ad ſiſtentandum illum ſplendorem ſatis eſt, breui, ex quo tantisper contractum aes alienum vrget, ſolum vertere coguntur, ac vix tot meſes ſplendere poſſunt in ſcholis, & academiis, quot annos potuiſſent in iisdem verſari, & egregie effloreſcere, ſi recta prauis, & ſolida ludicris anteponeꝝ voluiſſent, vel potuiſſent propter publicam conſuetudinis deprauationem, quae, torrentis inſtar, in tranſuerſum rapit ſaepe inuitos, & meliora deſtinantes. Accedunt crebriores inter eos, quibus pro muſeis circuli, pro libris arma, pro labore otia placent, offenſiones, & certamina, nec non inſidiae, & conſurations aduerſus eos, quos vel aliquis frugalitatis amor, vel res lautior, & ſplendor vitae maior a promiſſeuo bacchantium ardellionum grege ſecernit: quibus quotquot exponuntur, etiam ſi non illicio hauriantur, non diu tamen ita periclitari, & in perpetuam dimicationem coniecti eſſe volunt. Nec parentes, ſuos, quos ad ſcholas, vel academias dimittunt, rem, ſpemque cum vita temere patiuntur profundere. Alibi vsquam illi liberos eſſe malent, quam vbi in perpetuo peccandi, & pereundi diſcrimine eſt verſandum. Ita deſertae a reſtioribus ſtudiis ſcholae deſeruntur a diſcentibus, nec rata celebritas, nec conſtans frequentia eſt expectanda, vbi incautae aetati licet, quod libet, quibuſcunque illa prouocetur lenociniis, ſuſtentetur immunitatibus, roboretur auſpiciis. Adeo male conſulunt famae, & incolumitati ſcholarum, qui cum inſanientibus furere, & iuuenilem licentiam illecebris paſcere volunt, fruſtra ſperantes ſcholarum incrementa, quae nequitiae ſunt ſtabula, & campi liberiores ſoluendi mores, domeſtica frugalitate aegre coercitos. Sicut militaris diſciplinæ ſeueritas, & gregariorum exercitatio continuata feliciter continet caſtrenſem multitudinem, quam conceſſa otia, & data bacchandi licentia, qua prouectos ita dilabi conſtat, vt breui totus diſſipetur exercitus: ita vbi a ſcho-

scholis faceffit disciplina feuerior, & rectoribus studiis succedunt nugae, thalisque artibus, quam bonis, fatius videtur allicere, & continere frequentiam, praefertim honeftioram, & nobilium alumnorum, cito illae diffipantur, vt nec nobili, nec plebeiae iuuentuti in iis locus, & mora fit diuturna.

V. Antiqua eft illa fcholarum labes, & morbus pene inueteratus, vt fruftra in noftri feculi mores, & tempora praefentia dicax futurus fis, fi fcholaftica reprehendenda tibi vifa fuerit vitiofitas. In vrbibus maxime celebrioribus, & populofis, Roma, & Alexandria, & ex quo domicilium imperii orbis terrarum Byzantii conualuit, vitiatam fuiſſe iuuentutis liberalibus artibus operatae inſtitutionem, remque ſcholafticam pluribus laboraſſe incommodis, nec tam facile reperiri potuiſſe idonea labis iſtius remedia, teſtantur non antiqua ſolum hiftoriarum monumenta; ſed Romanas corruptelas hodiernis non diſſimiles aperit, & diſerte repraeſentat grauis autor libelli de cauſis corruptae eloquentiae. Ac dum mali mores bonas leges pariunt, Theodoſianus codex, & vetuſta iuris ciuilibus monumenta, oppoſita licentiae; & vitioſitati ſcholafticorum leges exhibentia ſatis oſtendunt, dudum vitia in ſcholis inualuiſſe. Nec labis omnis expertus fuit antiquiſſima res ſcholaftica, nec ipſa Hebraeorum iuuentutis educandae inſtituta, quamuis feueriſſimis legibus, quae liberorum refragantium auctoritati parentum improbitatem ſupplicio vindicant, ſancita, & religioſis ceremoniis munita, quae Naziraeos peperere, nec non collocata in ſecefſibus, in quibus Rechabitae, & reliqui prophetarum filii ſecreti a vulgo, & magis intacti a publicis moribus, & conſuetudinis deprauatione manere poſſe videbantur. Non temere Salomo efferatos populi mores arguit, vbi minus feruet ſtudium propheticum. Amos inualeſcentem ſui temporis licentiam accuſat, qua euertantur Naziraeorum ſanctiores mores, & vota eorum, gulae vitiiſ oppoſita, reddantur irrita, & prophetarum filii impediuntur interditiſ, quominus fungi munere ſuo poſſint. Nec cogitari poteſt, fore vllum tempus, populum, locumque, vbi inſenſus rebus humanis Cacodaemon vitiaſ rem ſcholafticam, & corrumpere iuuentutis inſtitutionem deſinat.

VI. Tanto impenſius, maxime cum ſuperioris aevi barbaries eſſet proſtiganda, circumſpecta ſunt mali illius remedia. Vt dudum, ita in coenobiorum clauſtris, & cucullo tuta viſa eſt quibusdam iuuentutis literarum ſtudioſae cuſtodia. Sed non temere alii iudicant, hoc pacto detentos alia ratione vitiaſ. Scilicet abſtracti doctrinae cauſa a multitudine non aequae morati, ac docti ſolent euadere: ac tam odioſa, & pertinax ſaepe eſt, quam inſolitudine contrahunt, morum labes, vt deducti in rerum actum in alium terrarum orbem veniſſe videantur, & ſibi, aliisque moleſti exiſtant; praefertim ſi naturalis intemperies copioſam etiam doctrinam minus patiatuſ fieri fructuoſam, & ad ornanda humanae vitae munera emergere ſatis idoneos ex ſecefſibus

religiosis. In his enim sicut cumulati carbonēs ardentes rediguntur in cineres: ita summi litteratores optime animati, & recta destinantes, dum bene agendi, & patiendi mala deest occasio, torpescunt penitus; nec sal terrae, quod Christus esse iubet veritatis, & sapientiae cultores, nec mundi lumina, quale litteratis in civilis iuris corpore nomen, honosque tribuitur, amplius esse possunt. Bene igitur, & sapienter maiores instituerunt; ut qui populo prodesse deberent, sub populari habitu adolescerent, & publicis moribus mature imbuerentur, qui horum depravationi deberent intercedere, & ex perceptis in scholis diuinæ, humanaeque sapientiae praesidiis opem afferre medicam ad profligandas populares corruptelas, & sananda reipublicae, & ecclesiae vulnera. Ita dudum, qui in Augustiniano Gothanorum coenobio pietatis, & litterarum officinam inuenerunt, discipulis licuit civilibus uti hospitii, habitu, & moribus, & frui vrbs, & arcis celebritate; atque ex quo haec SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM domicilium, & sedes regia facta est, quos hospitibus exteris curiosioribus afferre solet palatii, & palatinorum hominum aditus, & vsus, non contemnendis opportunitatibus, maxime comitate, & morum elegantia, & inde referre in patriam non exulta modo bonis artibus ingenia; sed politiore etiam viuendi, agendique rationem. Ne autem fraudi esset discendi causa Gotham adeuntibus vel popularis consuetudinis depravatio, vel solennis mentis intemperie laborantibus aemulatio moris, decoris, & elegantiae palatinae intempestiua, atque vani reddantur scholastici Gothani, recti, religiosique moris non minus, quam salutis patriae assertorum, ERNESTI PII, & SERENISSIMORVM FRIDERICORVM effectum est cura, & providentia, salutarium statutorum scholasticorum auctoritate, & ipsius palatinae institutionis, qua SERENISSIMI iuuentutis PRINCIPES continentur, exemplo. Ad rectiora, sanctiora, & solida hos ita duci, ut diei horae omnes, quas corporis cura, cultusque necessarius non occupat, illis impendantur, dum audiunt, videntque Gothani scholastici, nobilis, plebeiaeque profapiae: dum coguntur reuereri legum auctoritatem: dum occupantur bonis artibus, & solidae litteraturae adminiculis agitandis, tractandisque, quae palatinus suppeditat apparatus, SERENISSIMI PATRIS PATRIAE singulari clementia, & sumtibus maximis vndecunque ad excitanda, sustentandaque rectiora studia quaesitus, & accersitus: dum diuinis imbuuntur oraculis, & piis precandi, meditando, & perorando exercitiis instigantur ad detestandas nugae, vana, & profana, quae maleferiati sectantur pro praecipuis negotiis, otii argumenta, ac pro his amplectenda verae sapientiae, & solidae doctrinae praesidia, & exercitia: quibus perspicendi, & diiudicandi vis excitatur, & acuitur, eloquendi, scribendique facultas expeditur, expoliturque, nec non boni propositi ratio confirmatur, ut ex Gothana pietatis, & litterarum officina profecti litteratores corda-

ros se, & strenuos praestare possint veri, rectique assertores: non est metuenda solitudo ILLVSTRIS Gymnasii atriis. Pergent, quod pluribus retro annis factum est ad inuidiam, vndecunque Gotham mittere parentes liberos, qui suos peregrinari volunt, & non perire. Inuenient & honestiores, & nobiles hic commodum, & opportunum ingenii exercendi, & parem suae fortunae animum sumendi, confirmandique rectis studiis curriculum, qui honori sibi putant, recta, & religiosa, & a summis PRINCIPIBUS lata disciplinae lege regi, & versari in splendidis togae Romanae castris, quibus scholasticorum Gothanorum habitus non temere comparatur: qui sane luxui, perpetuo, & vulgatissimo scholarum exitio, prohibendo, & expediendis scholasticis officiis aptissimus est, atque in illis spectari, & internosci à vulgo: quod nobilitatis praecipuum opus esse debet: virtutis, industriae, & sapientiae progressibus maioribus: quales esse possunt propter paratiora, quae a pueris habuerunt, discendi subsidia, & adminicula: hos autem probare suo Marte elaboratis scholasticarum operarum pensis, & excellere disputando, perorando, & factitando omnia, quae leges, & iura iubent scholastica. Fallor, an inde est rata tamdiu ILLVSTRIS Gymnasii Gothani frequentia, & celebritas?

VII. Digna sane ista est solenni instituto materia, & publicae non minus gratulationis, qua ILLVSTRIS scholae lustratio auspicanda est, quam consulationis, quemadmodum, quod publice profuit, conseruetur, & propagetur ad posterum? commodissimum argumentum. Susceperunt hoc excutiendum, & repraesentandum publice tres SELECTAE CLASSIS alumni veterani:

LIBORIVS SCHRAMM, FRIDERICHRODANVS,  
 CAROLVS CHRISTOPHORVS KLOSS,  
 SALFELDENSIS,  
 ERNESTVS NICOLAVS BODINVS,  
 APFELSTADIENSIS,

*de disciplinae, & obiurgationis <sup>ille</sup> acrioris patientia, scholasticae iuuentuti necessaria, & salutari:*

*de scholarum non minus, quam reipublicae commodis, a disciplinae <sup>iste</sup> seueritate expectandis:*

*de musicis exercitiis, bonae mentis culturae non obstantibus, si recte, <sup>hic</sup> & religiose instituantur, quisque pro Marte suo peroraturi.*

46  
175  
PK

VIII. Dedit id postremus orator, hoc potissimum delicens, & consecrans argumentum, suo affectui, studioque artis nobilissimae, cuius peritia, & vsu coepit excellere, nec minus CLARISSIMI fratris celebritati. Idem hic discendi causa inter alumnos Gothanos adhuc versans consecutus erat MVSICAE ARTIS, cum a profano eius vsu abhorreret; interiores autem rationes peruertigandas, tentandasque sibi proposuisset, insignem, & admirandam facultatem magistram, in Ienenfi academia cum summo applausu exceptam, & ira excultam, probatamque, vt vnus dignus iudicaretur, qui TELEMANNINO, quanto MVSICO, & quantis passim stipendiis inquirato? succederet, idque apud Francofurtenses, bonarum artium fautores summos, & aestimatores curiosos, qui damnatis gulae fomentis, & explosis nugis, ritu virtutis studiosorum hominum, quoties fessas aliis negotiis aures, animumque recreare placet, in piis exercitiis musicis acquiescunt, ipsique illis dum per otium doctas manus admovent, eruditas aures facile adhibere possunt, & de bonis musicis recte iudicare. His tantus visus musicus Gothae institutus, senior Bodinus, quantus senior Schottus Lipsiensibus, & quantus noster Cramerus iisdem visus fuisset, si mors, quae non ita pridem iuuenem Lipsiae oppressit, artis eius praestantia, & vsu admirando potuisset moueri, vt passa esset diutius superstitem artificem insignem. Certe tot ciuium exempla eo in schola Gothana prouectorum, vt rem musicam in celeberrimis Germaniae locis ornare possint cum applausu, abunde ostendunt, tam falsam esse, quam dudum peruagata est, criminationem, pia Gothanae scholae exercitia inimica esse bonis artibus, praesertim musicae, & qui ista vrgent, hos negligere, vel odisse. Quod fictum crimen facto rectius, quam verbis, scriptisque, dudum pulchre refellitur. Quicquid tamen nouus musicae artis patronus cum reliquis oratoribus pro recta disciplina tuenda meditatus est, vt probent

**ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI PATRONI,**

seque pietati istorum alumnorum fauere, praesentes ostendant, idque cras, hora VII. ante meridiem, in auditorio CLASSIS PRIMAE, obseruantissime rogat

**RECTOR,**

**GOTHOFREDVS VOCKERODT.**

P. P. XXVI. IULII. cl. 15 cc. XXII.  
LITTERIS REYHERLANIS.

M.C.





Yb  
1752

NAE DISCIPLINAE  
OLASTICAE  
RATIO,  
TIORI NON MINVS,  
NOBILIORI,  
PLEBEIAE SOBOLI  
ACCOMMODATA.

